Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26120
Copyright: Admont, Benediktinerstift



equi magnitudine audiuimus. quantum contra certami
na uiciorum uir sanctus per patientiam tolerat. nunc per auium
speciem cognoscamus quantum per contemplationem uolat. Sequitur.
Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter. expandens
alas suas ad austrum. Quia per annos singulos pennam uete
rem accipiter noua nascente proiciat. ac sine intermissione
plumescat pene nullus ignorat. Non autem hic illud plume
tempus dicitur. quo innido uestitur. quia tunc nimirum
adhuc uidelicet pullus ad austrum alas expandere non ua
let. sed illa annua pluma describitur. que laxata uetere
penna renouatur. Equidem domesticis accipitribus quo melius
plumescere debeant. munita ac tepentia loca requiruntur.
agrestibus uero moris est. ut flante austro alas expan
dant. quatenus eorum membra ad laxandam pennam. ue
terem uenti tepore concalescant. Cum uero uentus deest.
alis contra radium solis extensis atque percussis. tepentem
sibi auram faciunt. sicque apertis poris uel ueteres exiliunt
uel noue succrescunt. Quid est ergo accipitrem in austro
plumescere. nisi quod unusquisque sanctorum tactus flatu sancti
spiritus. concalescit. et usum uetuste conuersationis abiciens.
noui hominis formam sumit. Quod paulus admonet.
dicens. Expoliantes uos ueterem hominem cum actibus suis.
et induentes nouum. Et rursum. Licet is qui foris est
noster homo. corrumpitur. tamen is qui intus est. renoua
tur de die in diem. Vetustam autem pennam proicere. est inuete
rata studia dolose actionis amittere. et nouam pennam
sumere. est mitem ac simplicem bene uiuendi sensum
tenere. Penna namque ueteris conuersationis grauat. et
pluma noue inmutationis subleuat. ut aduolatum
tanto leuiorem quanto nouiorem reddat. Et bene ait. Ex
pandit alas suas ad austrum. Alas quippe nostras ad